

Signor *Cassini's* Letter; giving some Account of the Observations made at *Paris* of the late Comet.

Nubes, quæ mense præterito matutino tempore Horizontem tenere consueverant, impedimento fuere quo minus Cometam ante diem 28 Aprilis videre potuerimus. Illum D. Romer, occasione observationis Satellitum Jovis habenda, primum advertit, & me statim de rei novitate admonito, horâ 4. 6'. 31". post mediam noctem, ejus altitudinem accepimus graduum 12.22'. 10". Cum Instrumentum direxisssem ad observationem Azimuth Cometae, illud, antequam observationem absolverem, commotum à curioso familiari, restitui non potuit priusquam Cometa disparuerit: Judicavi tamen, fuisse in verticali declinante ab ortu ad septentrionem grad. 33. circiter.

Die 29 manè, momento per nubes à D. Picardo visus est, horâ 3. 9'. 31". post m. n. in altitudine graduum 4. 39'.

Die 2 Maii manè, ascensione rectâ mediæ Cæli ex fixis existente gr. 267, altitudo Cometae erat gr. 4. 5'. Distantia verticalis à septentrione ad ortum gr. 42. 8'. circiter.

Die 4 manè horâ 3. 30'. p. m. n. altitudo Cometae fuit gr. 5. 33'. Distantia azimuthalis à sept. ad ortum gr. 42. 32'. circiter.

Die 5 h. 3. 32'. altitudo Cometae fuit gr. 5. 10'. Distantia azimuthalis à septent. ad ortum gr. 44. 10'. circiter.

Deinceps tempus nubilum manè & vespere Cometae observationes invidit.

Quæ habitæ sunt, ob temporis angustiam optatam exactitudinem habere non potuere. Illæ tamen initio Cometam reponunt in Triangulo, postremò propè caput Medusæ, ostenduntque Cometam procedere secundùm Signorum seriem per lineam proximam, & ferè parallelam illi quam descripsit Cometa Anni 1590 mense Febr. Magnitudo capitis visi Telescopio videbatur ferè æqualis Jovis disco, aut paulò minùs; nec perfectè rotundum apparebat, sed figura ovalis, longiore diametro horizonti parallelo; quod refractioni horizontali videtur tribuendum.

Coma ejus, Telescopio visa latior, & ferè parabolica; nudo autem oculo angusta, & parùm inflexa ad occasum videbatur.

Monfieur